



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Expedita Juris Divini, Natvralis, Et Ecclesiastici Moralis Expositio

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Quid sit Cambium? Caput I.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40132

TRACTATUS TERTIVS
DE
CONTRACTV
CAMBII.

CAPUT I.

Quid sit Cambium?

CAMBIUM, ut hic accipimus, est Permutatio unius pecunia cum altera, sicut cambire in univrsūm nihil aliud est ex Tiraquello, nisi Rem cum re permutare. Ex b
a Tiraq. de retractu l. 1. cap. 30.
b Aristot. pr. phys. cap. 6.
 Aristotele autem triplex est permutatio. Prima, rei cum re, ut, si dem vinum pro frumento; & hæc dicitur absolutè Permutatio. Secunda; pecuniæ cum re, ut, si aurum pro vino; & hæc dicitur Emptio, & Venditio. Tertia, pecuniæ cum pecunia, ut, si dem auream pecuniam pro argentea, vel etiam pecuniam præsentem hic, pro alibi existentem, & hæc permutatio vocatur Cambium.

c Aristot. l. c.
d S. Th. 2. 2. q. 78.
art. 1. & c.
14. de Regim. Principum.
 2. Hinc vides, rectè docere Aristotelem, & Doctorem Angelicum, d Pecuniæ, alium usum esse primarium, atque hunc esse, ut sit aliarum rerum pretium: Alium, esse secundarium, minisque principalem, cumque esse, ut possit permutari, emi, vendi, commodari; Cuius posterioris usus ratio est manifesta, quia Aurum, & Argentum non relinquunt naturam suam, suamque æstimabilitatem materiæ ex eo, quod per consensionem Gentium sint in pretium aliarum rerum instituta.

3. Quæres. In quo genere contractuum est numerandum Cambium?

Respondeo. Aliqui volunt referri ad contractum permutacionis; permutatur enim pecunia præsens cum absente. Aliqui contractum Innominatum; do, ut des. Aliqui ad contractum Emptionis, & Venditionis; Emitur enim una pecunia pretio alterius. Aliqui ad contractum locationis, & conductionis, nam Mercator v. g. locat alteri industriam, & operam suam, qua transfert pecuniam ex uno loco in alium, vel quæ conquirat pecuniam,

scilicet Argenteam, ut possit dare pro Aurea, &c. Omnes hi profecto loquuntur suo modo probabiliter. Sæpe nihilominus, semper debere servari æqualitatem inter datum, & acceptum.

CAPUT II.

Quotuplex sit Cambium Reale?

Reale dico; nam siccum, cum contineat meram usuram, non est nobis explicandum, sed expellendum: Siccum autem appellatur, & est illud, quod fingitur esse reale, cum non sit; fingitur enim commutari pecunia cum alia, sed verè non commutatur: Sicut fingitur aliquando fieri solutio in alio loco, cum tamen fiat in loco, ubi datur: Et merito appellatur siccum, quasi sterile, & carens humore, quia non habet justum titulum, undè lucrum afferendum est.

2. Porro Cambii Realis tres invenio Classis. Prima, continet Cambia minuta, idest, quando mutatur pecunia major, cum minori, pulchra cum deformati, nova cum veteri, titata cum legitima, usualis in hac Provincia cum usuali in alia Provincia, & hoc vocant Aliqui ex Valentia *f purum*, seu simplex Cambium, seu etiam manuale, quia de manu ad manum fit, idque in eodem loco regulariter.

3. Secunda Classis continet Cambia per literas, quæ vocantur etiã Cambia localia, idest, quando præsens pecunia commutatur cū absenti, quod Cambii genus, cum fiat per literas communiter, à literis nomen accepit.

4. Tertia Classis ad Cambia per literas addit unam quandam circumstantiam peculiaritatem, idest, quod solet fieri ejus solutio in quibus-